

1899

TUM DANTIBUS QVÆSTUM MERETRICIUM. 11

*rari.* Ut adeo nesciam, quæ ratio moverit vulgus Interpretum, ut contrariam sententiam velut communem opinionem passim venditaverint, receperintque. Neque quicquam officit, quod meretrix corpore quæstum facere dicatur: cum leges hoc ipso formalem rationem meretricis non exprimant; sed ad id potissimum respiciant, quod communiter fieri solet. Communiter autem meretrices neque gratis se prostituunt, neque ut id faciant, à Leonibus habentur; sed inde tamen non sequitur, quod si qua deprehendatur, quæ non quæstus recipiendi gratia, sed libidinis explendæ ergo corpus suum vulgaverit, non pro meretrice habenda sit: cum ab eo, quod plerumque fit, ad id, quod semper fieri potest vel debet, minus recte inferatur. Plerumque vero 32 & communiter meretrices quæstui student & amasiorum suorum bonis inhiant. Unde etiam à Veteribus *Lupæ* dictæ fuerunt, & turpia earum loca *Lupanaria* nuncupata, *Augustin. libr. 18. d. civitat. DEI cap. 21.* scil. a rapacitate: uti enim lupi rapacitate sua omnia vastant; sic etiam meretrices plus habendi studio bona amasiorum suorum ad se rapiunt, eademque misere perdunt, quod ex *Eusebio, Eutropio & Isidoro lib. 18. cap. 4.* pluribus deducit *Savaro ad Sidon. lib. 9. Epist. 6. ibi: quantum de bonis sculis avitis paternisque sumptuositas domestica Charybidis abligurisset.* Et apud 33 *Plaut. in Pseud. act. 2. scen. 1. vers. 28. gallina pro meretrice accipitur, quia meretrices ut gallinæ spargunt & perdunt omnia, Savaro d. l. ex eo Taubmann. in comment. ad Plaut. ad l.* Aliis meretri- 34 ces etiam *limaces* vocantur; quod ut *limax* folia plantarum & olea corrodit: ita illæ amatores suos: quo respectu meretrix quoque *Menandr. c. 1. s. Capra* nominatur, *conf. Taubmann. in not. ad pulicem Virgil. vers. 42.* Sic olim quoque meretrices ex *Megara* 35 *Sphinges* appellabantur, quod post *Erasmum in Adagiis* observavit *Philipp. Camerar. cent. 1. horar. succisiv. cap. 71. in fin.* quod humano capite mansuetudinem præ se ferrent; cæterum corpore reliquo Leonino rapacitatem & imperium, quod in amatores exercent. Hinc etiam triti isti *versus rhythmi* fluxere.